

cur rebaptizandi ipsi essent ad Ecclesiam redeuntes, docet Augustinus lib. de haeresibus, ad Quodvult-deum, haeresi 44. Pauliani, a Paulo Samosateno dicti, Christum non semper fuisse dicunt: sed eius initium, ex quo de Maria natus est, asseverant. Nec enim aliquid amplius quam hominem putant. Ista haeresis aliquando eusdam Artemonis fuit. Sed cum defecisset, instaurata est a Paulo: & postea sic a Phozino confirmata, ut Phoziniani quam Pauliniani crebrius nuncupentur. Istos sane Paulinianos baptizandos esse in Ecclesia Catholica Niceno Concilio constitutum est. Unde credendum est, eos regulam baptismatis non tenere, quam secum multi haeretici, cum de Catholica fide discederent, abstrulerunt, eamque custodierunt.

7. Superius vidimus damnatas a Stephano Pontifice Synodos Africanas, a quibus haeticorum baptismus ut inanis reprobatus fuerat. Debet igitur in Paulianis inesse specialis causa, cur eorum baptismum Niceni Patres rejecerint, ut admonet Augustinus. Atque hac ipsa fuisse videtur: quia cum Paulo Samosateno Divinitatem Christo abrogantes, & insuper cum Sabellianis omnem adimptentes Personarum Divinarum proprietatem ac distinctionem, unicamque stantes in Deo Personam petinde atque essentiam, talia ex consequenti verba adhibebant, ab omni personarum expressione aliena, sine qua baptismus non subsistit. Disertis etiam verbis ait Innocentius I. Papa epist. 22. cap. 5. Paulianiste in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti minime baptizabant. Quae causa est, cur asserat Hieronymus contra Luciferianos, Concilium Nicenum admisisse omnium haeticorum baptismum, solo Paulianistarum excepto: Praeterea Arelatense secundum Concilium sic decernit can. 16. Phozinianos sive Paulianistas secundum Patrum statuta baptizari oportet.

8. Can. XX. Quoniam sunt quidam, qui in die Dominico genuflectunt, & ipsi diebus Pentecostes: ut omnia similiter in omni Parochia serventur, visum est sancto Synodo, ut stantes Deo orationes effundant.

Hanc viguisse praxim longe ante Synodum Nicenam, ut fideles diebus per annum Dominicis, & continuis quinquaginta Paschalibus diebus, ad usque festum Pentecostes, stantes orarent, testis est Iocuples Tertullianus de Corona militis, c. 3. & Justinus Martyr, sive quisquis est auctor Graecus questionum ad Orthodoxos. Publici tamen poenitentes, illis etiam solemnibus diebus, genibus flexis orabant. De his enim sancit Concilium Carthaginense quartum can. 28. Porro Nicenus iste canon 20. citatur cap. quoniam sunt, de consecr. dist. 3.

DE DIVINARUM PERSONARUM

A Niceno Symbolo asserta consubstantialitate.

1. Admiratu simul & observatu dignum est, quod scribit Divinus Athanasius, lib. de Synod. Arian. & Seleucien. venerandos illos Patres, a quibus in Antiochena Synodo Pauli Samosatani haeresis profligata est, usum prohibuisse vocis *hypostasis* Filii, seu consubstantialis atque consubstantialis respectu Patris, a quo progignitur, cum tamen sancta magnaque Synodus Nicana hanc eandem vocem tanti aestimaverit, ut eam voluerit esse fidei tesseram in Ecclesia, qua impietas Ariana discernitur & fecerit ut vera & orthodoxa, quam fideles omnes sequi tenentur, doctrina & traditione. Non tamen discrepat mens Synodi Nicanae ab ea, quae fuit veteris illius Antiochena: cum enim soleant improborum animi rebus etiam optimis abuti ad suam aliorumque perniciem, Pauli Samosatani sequaces, qui Christum merum dumtaxat hominem praedicabant, in orthodoxos invehebantur hoc argumento, quod gravis infligeretur Divinae substantiae injuria, si Christo nihil nisi humanum habenti, & a Divinitate remotissimo, increata illa & divina adjudicaretur substantia. Praeterea idem haeresiarcha discrimen omne personarum a Divinitate removebat, quam unica persona constare asseverabat cum altero haeresiarcha Sabellio, qui Valeriano Imperium regente suum sparserat virus, ut prodit Epiphanius haeresi. 65. quo eodem veneno imbutus est Samosatenus, ideoque Verbum aeternum Patri esse *hypostasis*, & consubstantialia hoc sensu praedicabat, quatenus unam eandemque atque indistinctam Personam cum Patre assererat: sed eo sensu Ecclesia tunc temporis vocem hominifera proscrispit, quia verissime docebat, Patrem & Filium reipsa distinctas esse personas. Veruntamen quia

Divinarum Personarum, ac suppositorum distinctio non latenus oblituit unitati seu identitati naturae ac essentiae, ut ita dicam, Divinae, Ecclesia apud Nicenam congregata ad refellendam Arianam haeresim delirantem, verbum esse longe inferiori a Patre dignitatis, ab eodem in tempore creatum, vocem *hypostasis* restituit & instauravit, adversus Arium divinitatem & aeternitatem Verbi evertentem: quo id vocabulum pro tessera esset ac militari signo, quo insurgens haeresis ab Ecclesia castris eliminaretur & arceretur. Quapropter Athanasius vocula istius vim his magnificat verbis, lib. de Synodis: ταύτην μόνον τὴν λέξιν αὐτὴν διελέχθησαν αὐτῶν τὴν αἰσιν θέλησαν, ἢ οἱ πατέρες ὡς περ ἐπιείχοντο κατὰ πᾶσαν ἀπειρίαν ἐπιείχοντες αὐτῶν ταύτην ἐπέλεξαν. Solam hanc dictionem, ut quae ipsorum convincit haeresim, adversarii reformidant, quam quidem Patres pro munimento & arce contra omnia illorum impia commenta scriptam objecerunt.

2. Niceni quidem Patres, etiam si neque de Divinitate, neque de aeternitate, neque de consubstantialitate Sancti Spiritus ambigerent; de solo tamen Filio apertum tulere iudicium; sua nimirum Decreta restringentes ad labefactandam haeresim ab Ario excitatam, qui nihil de sancto Spiritu expresserat, sed de solo Filio dogmatizabat; ne illa, de quibus nulla erat mota quaestio, decernentes, novas excitarent controversias: praefertim cum tam multi pullularent hominum perverforum animi, qui erant Synodum vituperaturi, ut novorum dissidiorum fontem & causam. Veruntamen Synodus Alexandrina, cui ipse praesedit Athanasius anno 362. a Juliano Caesare in pristinam sedem revocatus, Liberio existente Romano Pontifice, difficultates omnes expedit, definiendi tres esse reipsa distinctas hypostases in una eademque Divinitate: & insuper Apollinaris haeresim profligavit, animam rationalem Christo abrogantis, ut vicem ejus Verbi persona suppleret in solo humano corpore. De qua Synodo Socrates lib. 3. cap. 4. & 5. fidem facit, Spiritus sancti Divinitatem fuisse stabilitam, eumque in consubstantiali fuisse Trinitate comprehensum, Filium quoque hominem integre assumpsisse; nec solum corpus induisse, sed simul animam rationalem; atque ita haeresim Apollinaris evertisse. Prodiit deinde Macedonius, aperte negans Spiritus Sancti Divinitatem, eumque in ordinem redigens creaturarum. Contra hunc haeresiarcham Theodosius senior Synodum coegit Constantinopoli centum quinquaginta Episcoporum, Pontifice Damaso. Ariana porro haeresis in duas dissecta erat factiones, rigidiorum Arianorum, qui Anomoei dicti voluerunt, ea de causa, quia dissimilem Patri Filium praedicabant, id enim sonat vox *ἀνόμοιος*, horum Princeps erat Eunomius. Altera factio non ita rigida, sed mitior, quamvis negaret Filium esse *ὕποστατον* Patri, addita tamen huic voci litterula *ι*; fatebatur eandem esse paternae substantia similem ac *ἰσότητιον*. Horum signifer erat Basilius Ancyranus.

3. Veruntamen magnum opus, magnusque videtur esse labor in enodanda divina unitate & simplicitate, non dico cum tribus Personis, quae, ut orthodoxa Theologia docet, non se ipsa, sed ratione tantum a divina essentia distinguuntur; re tamen ipsa nequaquam a divina essentia differunt. Quam rem aptissima grani comparatione, Graecus simul & Catholicus auctor dilucide explicat in orthodoxi cum Anomoeo Dialogo, in quo interrogat Anomoeus: *Aliud ne est scia, id est substantia; & aliud hypostasis?* Respondet orthodoxus: *Aliud & aliud dixi, non ut res alia & alia: sed quod aliud significat hypostasis, aliud substantia. Quemadmodum granum frumenti dicitur, & est semen, & fructus, non ut res sit alia. Verum aliud significat semen, & aliud fructus: quoniam semen futurae agricolationis est semen: fructus autem praeterite agricolationis est fructus.* Apud hunc auctorem significatione differre nihil aliud est quam *λόγος*, seu *ratio* differre. Ratione itaque distinguuntur proprietates Personarum a substantia, sed nullatenus re discriminantur; tamen si diversa de utroque praedicantur, quod subinde Maximus eodem in loco demonstrat. Dialogi isti Athanasio communiter ascribuntur, & habentur in editionis operum ipsius tom. 2. Veruntamen a recentioribus Graecis sub nomine Maximi martyris citantur & circumferuntur. Hanc eandem doctrinam profert inter Latinos S. Thomas 1. p. q. 27. art. 2.

4. Ceterum pars quaestionis altera quae restat enodanda, profundioribus difficultatibus videtur esse implexa, & involuta, non enim inuit comparatio Personarum ad divinam substantiam, sed earundem Personarum inter se mutuo; quas certum est, non jam per intellectum, sed actu & reipsa abinvicem distinguuntur; & tamen omnes una sunt eademque res, quae est ipsa Trinitas. Quinam ergo simplex erit Deus, qui ex tribus constat rebus invicem distinctis? Communis Sanctorum Patrum responso est, Gregorii Nazianzeni in libello de Divi-

Divinitate ad Evagrium Monachum; Gregorii Nysseni in suo ad Ablavium libro, qui inscribitur, Cur non sint tres Dii; Basilii lib. 1. contra Eunomium; Cyrilli Alexandrini in Dialog. 7. inter Personarum distinctas proprietates, quae numerum ternarium constituunt, nequaquam obfiteri divinae essentiae (quae indivisim in tribus numero distinctis Personis tota existit) unitati ac simplicitati: quatenus illa essentia simplicissima tota est in Patre, eademque tota in Filio, totaque ac sine ullo discrimine in Spiritu sancto. Spectatur itaque quae numerus ac pluralitas in personis ac hypostasis divinis, sed essentia impartibilis, ut ita dicam, seu substantia divisionis incapax eadem est in tribus atque in singulis suppositis, quae Trinitatem constituunt. Similia prorsus docent & alunt Latini Patres Hilarius, Augustinus, Fulgentius. His consonant divinae Scripturae, Joan. 10. Ego & Pater unum sumus. Et 1. Joann. 5. Et hi tres unum sunt. Concilium oecumenicum Lateranense Innocentio III. Pontifice c. 3. eandem fidei veritatem confirmat: *Quod una quadam res est incomprehensibilis quidem & inestimabilis, quae veraciter est Pater & Filius & Spiritus sanctus, tres simul Personae, ac singularem quilibet earum.* Evertitur autem fundamentum Arianorum, consubstantialem Patri Filium negantium & oppugnantium, quatenus hallucinabantur non potuisse Patrem suam Filio communicare substantiam, nisi vel per divisionem partis sui ipsius, ut fit in corporum generatione; aut per effusionem totius suae substantiae extra se ipsum: cum tamen fide constet, Filium & Spiritum sanctum, nec esse alium a Patre Deum, sed unum eundemque cum Patre: neque esse extra Patrem, per circumfessionem, quae Graece περιχώρησις dicitur secundum quam ipse JESUS ait Joann. 14. v. 12. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est: Verba quae ego vobis loquor, a me ipso non loquor, Pater autem in me manens ipse facit opera. Et in Evangelii exordio: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Praeterea in haec verba sic meditatur Ambrosius, lib. de fide Trinitatis, cap. 5. *His quatuor aut quinque verbis omnes haereses excludit piscator noster. Quod enim erat in principio, non includitur tempore. Ergo Arius conticescat, qui Filium Patri coeternum negat. Quod autem erat apud Deum, non commixtione confunditur, sed manentis Dei apud Patrem solida perfectione distinguitur, ut Sabellius & Phozinus obmutescant, qui nullam in personis divinis distinctionem agnoscebant. Si vero Deus erat Verbum sempiterna divinitatis, in Patre & Filio inseparabilis unitas & consubstantialitas est, ut erubescant Eudoxius & Eunomius.* Atque ita delirabat Arius, asseverando non alia ratione concipi mente posse Filium Patri consubstantialem, nisi vel communicando ei partem substantiae paternae, aut fingendo Patrem se totum extra se ipsum effudisse. Quae utraque suppositio falsa omnino est; non enim partem substantiae, quae indivisibilis est, Pater Filio contulit, neque conferendo substantiam suam a se abalienavit, sed communem inter se & Filium in sinu proprio genitum reddidit, neque quidem de sua primitiva divinitate amisit.

5. Sed & altera superest non minus intricata, & perplexa quaestio elucidanda. Ex dogmate namque Arian, perverfe docentis Filium a Patre creatum, non ab aeterno, sed in temporum progressu, plerique sancti doctores hanc ex mente haeresiarcha colligunt absurditatem, non fuisse Patrem ab aeterno, sed tantum ex tempore sapientem; quo nihil absurdius aut magis impium dici quidemque potest. Cum enim verissime dicat Apostolus 1. Cor. 1. *Filium Dei sapientiam & virtutem*, consecranteum esse replicant Sancti Patres, non fuisse Deum ab aeterno sapientem, ante suppositam illam unigeniti creationem: sed tantum a momento illo quo excoegit Arius Filium fuisse a Patre creatum. Sic enim argumentantur Athanasius orat. 2. contra Arianos. Basilius lib. 4. contra Eunomium. Gregorius Nazianzenus orat. 35. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. & 14. Theauri; & lib. 1. commentariorum in Joann. cap. 3. Ambrosius lib. de Symbolo, cap. 11. & lib. 2. in Hexameron, cap. 3. Veruntamen Augustinus ex hujusmodi argumentatione non pauca absurda sequi docet, quatenus supponere videtur Patrem esse sapientem sapientia Filii, non vero Filium a Patre nascisci sapientiam, quemadmodum & alias perfectiones, quae ab essentia non distinguuntur, quam certum est a Patre communicari duabus reliquis Personis; alioquin ordine inverso non Filius a Patre, sed Pater a Filio sapientiam, virtutem & divinitatem reciperet. Hac subtiliter & industrie admonet Augustinus lib. 6. & 7. & 15. de Trinitate. cap. 7. & in lib. 1. retractationum, cap. 26. Veruntamen non est caduca retractorum, quos nominavimus, Patrum adversus Arium instantia, si debita adhibeas distinctionem, qualem insinuat praclare S. Thomas 1. part. q. 37. art. 2. ut non in formali, sed

in causali & illativo, ut ita dicam, sensu Sancti Patres intelligantur. Quamvis enim Filius, qua Filius est, non sit illa sapientia qua Pater est sapiens, necessario tamen cum illa conjungitur, ab eaque oritur. Sapientia quippe quae in Patre est, non est habitus, aut facultas, aut potentia, qualis est in rebus creatis; sed est purus ac simplex actus. Porro actus omnis sapienti, intelligendique verbum, necessario complectitur omnem intellectionis terminum inevitabilem: sine quo sapiendi aut intelligendi actus ne quidem animo concipi potest. Terminus autem est ipsum verbum Graece denominatum *λογος*, ut advertit Cyrillus lib. 4. in Joann. cap. 48. *λογος γὰρ οὐκ ἔστι ποτὲ ἄνευ.* Nunquam enim mens erit sine verbo, quod & in lib. thesauri uberius explicat. Et S. Thomas, loco paullo ante allegato, res ait communiter denominari non solum a suis formis, sicut album ab albedine, homo ab humanitate: sed etiam a termino, ut cum arbor dicitur florida a floribus quos produxit, quamvis non sint arboris forma, sed effectus ac terminus. Atque ita optime contra Arium, Patrem non fuisse actu sapientem, nec esse potuisse sine verbo ac unigenito, concludunt sancti Patres.

DE NUMERO CANONUM

Nicanorum, Diatriba.

1. Circa Nicenorum Canonum numerum inter multos controversatur. Concilium Carthaginense VI. sub Romanis Episcopis celebratum Zosimo, Bonifacio, & Caesestino, magna in hac re ambiguitate fluctavit. Insistebat Zosimus apud Concilium, ut decerneret de admittendis appellationibus ab Episcoporum Africanorum judiciis ad Apostolicam sedem, juxta Nicenorum canonum praescriptum. Huic postulationi haud flatim acquieverunt Carthaginenses, miseruntque ad Atticum Constantinopolis, & ad Cyrillum Alexandriae Episcopos, ut sibi copiam facerent omnium Niceni Concilii constitutionum. At isti ad Africanos transmiserunt vulgata illa viginti Nicana capita, in quibus ne verum quidem ullum de appellationibus ad Romanam sedem. Rufini quoque historia duos & viginti Canones exhibet, nec tamen constitutiones auget, sed duos canones duntaxat nihil addendo partitur. Praeterea Theodoretus lib. 1. hist. Eccl. cap. 8. in fine, attestatur, fuisse canones in Nicana Synodo non plures viginti. Relatione quoque constat memorati Concilii Carthaginensis VI. Caecilium Carthaginensem Episcopum, qui ipse inter trecentos decem & octo Nicenos praesules confederat, non plures viginti canones ex Nicæa Carthaginem retulisse. Dixere namque Carthaginenses Patres Aurelio, Carthaginensi Concilio Praesidenti: *Exemplaria fidei, & statuta Nicæna Synodi, quae ad nostrum Concilium per beatae recordationis olim praedecessorem tuum sanctitatis, qui interfuit, Caecilium Episcopum allata sunt.* Post quae notarius citavit ex Caeciliano Codice confessionem fidei Nicæae editam: *Statuta quoque Niceni Concilii in viginti capitulis similiter recitata sunt.* Quis autem fidem non habeat tam multis, tam perspicuis, tam antiquis, tamque insignis auctoritatis testimoniis; Gelasius quoque Cyzicenus Nicenos solummodo viginti canones commemorat.

2. Ex opposito tamen veteres Sancti Patres, haud pauca hujus Concilii decreta referunt, nullatenus hisce viginti comprehensa. Conticesco mutuas sub nomine Athanasii & Marci Romae Pontificis Latine scriptas epistolas, in quibus Athanasius rogat Marcum, ut ad se transmittat octoginta Nicenos canones, quales Alexandriam ex magna illa Synodo transportarat: sed Ariani omnia diligenter conquisita Nicæna exemplaria flammis concremarant; ut nulla in Aegypto, Libya, & Pentapoli jam reliqua essent. Respondet Marcus Athanasio, se canones illos octoginta pridem, sed ab Nicæna postea Synodo in septuaginta redactos, ad ipsum transmittere. Haec vero geminae epistolae ficticiae sunt, nulliusque apud eruditos auctoritatis.

3. Julius Romanus Pontifex ad Orientales epistolam scripsit, quam refert Athanasius apolog. 2. meminit autem decreti Synodi Nicænae, de prioris Synodi actis in posteriore Synodo examinandis: inde probare intendens legitime susceptam ab Apostolica sede causam Athanasii, post Concilii Tyrii iudicium in Romano Concilio revivendum & retractandum; atque se juxta veterem consuetudinem processisse: *Cujus (inquit) renovata memoria, & scripto prodita in magna Synodo.* Leo Papa I. epistol. 24. ad Theodosium juniorem Augustum, postulat ab eo retractatorium Concilium in causa Flavianii ab Ephesino Lurocinio appellantis; hanc roborat petitionem